



Simon Sultzerus natus est Bernæ Heluetiorum honestis parentibus anno 1508. In eo loco, præceptore Rubello usus, prima literarum fundamēta feliciter iecit, atq; suos æquales ingenio & diligentia facile superauit. postea sese Lucernam contulit, atq; sub Osvaldo Myconio, qui celebrem ibi scholam instituerat, in linguarum & artium cognitione plurimū profecit. Inde Basileam peruenit, atq; in Mathematicis Glareanum domesticum præceptorem habuit. Cum hoc modo artium et linguarum studia mediocriter percepisset, animum quoq; ad Theologiam studium conuertit, atq; in eo Basileæ Oecolam padium, & Paulum Phrygionem, Argentinæ uero

Bucerum, Capitonem, & Hedionem sacram scripturam explicantes, sedulò audiuit. Itaq; factum ut Basileæ 1531 artium Magister creatus fuerit. Accedebat huic eruditioni uitæ integritas, & docendi fidelitas. Itaq; post Academiæ restorationem Collegij œconomia & administratio ei cōmendata fuit. Quo quidem tempore ipse ex honesta familia Merianorum Basileæ uxorem duxit, & patrem familiæ agere coepit. Id cum Bernensis respublica intellexisset, eum ad se uocauit, atq; bonas artes in sua urbe profiteri iussit. Vnde Simon Bernam accedens, ad tempus aliquot linguarum & artium præcepta tradidit, & multorum discipulorum concursu omnibus bonis innotescere coepit. Verum cum ipse ad maiora natus esset, & summo desiderio sacrarum literarum teneretur, post aliquot annos Basileam rediit, atq; Monasterum in Hebraicis, Gynaearium uero in Theologicis docentes audire exoptauit. Tum autem delectæ iuuentutis (quæ publicis sumptibus in monasterio Prædicatorum, amplissimi Magistratus Basiliensis iussu, tanquam Ecclesiæ & scholæ certissimum seminarium alebatur) institutio commissa . Eam functionem is magna animi moderatione suscepit, & interea Theologico studio ea dexteritate incubuit, ut iam tum magnam omnibus de sese spem præbere uideretur. Cum autem eo tempore contentio illa de Cœna Domini in reformatis Ecclesijs, magno omnium piorum dolore, increbresceret, Sultzerus sub annum nativitatis Domini 1538 Saxonicas Ecclesias inuisit, atq; cum ipso Lutherò ea de re amicè contulit.